

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmando ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

9. Cui seruio in spiritu meo in Euangelio eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

6. ANTIDOTA APOSTOLICA

obedirent. Docet igitur vocem Ecclesiæ prædicantis & docentis huiusmodi à Deo datam esse, ut ei obedire, ex eaque obedientia, fidei veritatem ac doctrinam accipere omnes debeat. Hodie haeretici Ecclesiæ voci non aliter obediendum censem, nisi quatenus illa cum Scriptura consentiat, hoc est, quatenus ipsorum iudicio consentire videbitur. Alioqui enim, utrum cum Scriptura consentiat Ecclesiastica prædicatio, unde tandem constare poterit, nisi vel ipsi ea de re iudicium ferant (quod est seipso Ecclesiæ iudices constitueret) vel ipsis Ecclesiæ iudicio ea in re acquiescant, & sic ad Ecclesiæ autoritatem obedienter suscipiendam iterum relabantur, In alijs locis hac de replura diximus; dicemus & postea.

8. Quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.

Romanorum
fides.

LAUDAT fidem Romanorum ut toto orbe celeberrimam: de qua suo tempore Cyprianus: *Ad Romane Ecclesiæ fidem Apostolico ore laudatam perfidia habere accessum non potest. lib. 1. epist. 3. Vide D. Hieronymum in præfat. lib. 3. in epist. ad Galatas.*

9. Cui seruio in spiritu meo in Euangelio eius.

Externa
pietatis
opera.

SERUITUR Deo in spiritu, & adoratur Deus in spiritu (utitur enim Apostolus verbo *Διαλέγεται*) per externa pietatis opera, ut hic Paulus

Paulus fecit per externam Euangeliū prædicationem. Ait enim : Seruio Deo in spiritu meo in Euangeliū eius : id est, per prædicationem Euangeliū eius, mihi concreditam. Sic illud ^{Ioan. 4.} Christi, Deus adorari vult in spiritu & veritate, intelligendum est etiam de operibus pietatis externis & cultu externo cum animi pietate interna cōiunctis, quibus Deo seruitur. Certè si Euangeliū prædicando cultus Deo gratius & pretiosus Deo impenditur (quod hic Caluinus ipse obseruauit) negari non debet, in omnibus operibus pietatis cultum Deo gratum impendi.

ii. Ut aliquid impertiar vobis gratia spirituālis ad confirmandos vos.

Obseruāt ad hæc verba Patres (quod & obseruari potest contra hæreticos, qui Petrum Romæ prædicasse contra omnem Antiquitatis consensum pertinaciter negant;) ideo Paulum de confirmandis Romanis loqui, quia antea per Petrum ad fidem conuersi fuerant. Sic commentarij in Paulum apud Hieronymum, qui Sedulij esse videntur : Romanos ex Petri prædicatione fidem tenuentes, confirmare se velle Paulus dicit : non quod minus accepissent à Petro, sed ut duobus Apostolis attestantibus eorum corroboraretur fides. Idē scribit Chrysostomus homil. 2. in hanc epistolam, & Theodoretus in cap. 16. ad Romanos.

A 4

16. Vir-